TENTAMEN MEDICUM

DE

CHOLERA-MORBO.

QUOD, Deo duce & auſpice Dei-Parâ, in auguſtiſſimo Ludovicæo Medico Monſpelienſi, tueri conabitur, FRANCISCUS DABBADIE, ex urbe Bidache, *Département des baſſes Pyrenées*, Artium Liberalium Magiſter, nec-non jamdudùm Medicinæ Alumnus, pro trimeſtri januarii anni 1791.

Pro Baccalaureatûs gradu conſequendo.

PER choleram-morbum intelligimus immodicam, violentamque materierum plùs minùs-ve acrium, præ primis bilioſarum, ſursùm & deorsùm excretionem, quæ conatibus excernendi ventriſque perturbationibus præceditur. Nonnunquàm hic affectus tanquàm ſymptomaticus, v. g. in difficili puerorum dentitione, à *Sydenhamio* obſervatus fuit, aliàs etiam ut criticus v. g. in febre lypiriâ, quæ ex *Hippocrate*, non-niſi ſuperveniente cholerâ, ſolvitur. Omiſſis aliis diſtinctionibus, ſequimur iſtam patris Coxi diviſionem, ſcilicet in humidam & ſiccam; & de priori præſertim ſermonem faciemus ſub morbi idiopathici & primarii reſpectu. Quoad poſteriorem ſpeciem nomine ſiccæ deſignatam, ſanè ob dejectionum liquidarum abſentiam dicimus, quod in eâ venter infletur, inſint ſtrepitus, laterum lumborumque dolores, & quod fiant dolorificæ flatuum acrium eruptiones non ſolùm per os, ſed etiam per anum licet hic adſtrictus ſit.

Quam ultimam longam eſſe, aït *Piquer*, neque multùm alere periculi, ſi bene tractetur; ſi autem male, in hydropem ſiccum, ileum, aut morbos convulſivos facilè abire. Teſtatur *Sydenhamius*, ſe unicum dumtaxat hujus-ce exemplum vidiſſe; ex eo patet rarum eſſe, & ideò non ampliùs agemus. Inter ætates, aït *Areteus*, juventa, & ea quæ robuſtior eſt, hoc morbo ſæpe corripitur; ſenecta rariùs quam pueritia, ſed periculoſiùs ex *Lomnio*.

Conſenſus adeſt inter clinicorum & naturaliſtarum obeſervationes, etenim ex illorum ſcriptis ſequitur eam eſſe in ratione caloris, cùm alii dicant eam endemicè graſſari apud Americæ, Indiæ, Mauritaniæ, Arabiæ incolas; alii etiam epidemicè apud nos. Pro æſtatis aut aliorum temporum caloribus ex neotericorum detectis per cadaverum cholericorum aperturas, liquet hoc malum ſedere in ventriculo, inteſtinis tùm craſſis, tùm tenuibus, ſed potiſſimùm in duodeno ductibuſque biliariis; nam hii digiti auricularis diametrum acquiſiverant.

Cauſas omnes hujus morbi non hîc annumerare mens eſt, ſed quaſdam tantùm quæ ſpectant morbi naturam, & quæ indicationes curatorias ſuppeditare valent. Inter illas eminentem herclè bilis ab indole ſuâ naturali receſſa locum occupat; hujus aſſerti veritas demonſtratur à curatione & ab excretionibus iiſdem. Ut ut humor ille eſt valde degenerationis capax, à multiplici etiam fonte cholera derivatur. 1°. A caloribus immodicis, quod *Sydenhamius* exprimit, dicens, ejus recurſum per æſtatem tam eſſe certum, quam hyrudinum ineunte vere. Addit ipſe quantum libet epidemicum rariſſimè protendi ultrà auguſti terminos. 2°. Ab ingluvie aut crapulâ, & præſertim à ciborum pinguium, oleoſorum uſu, qui ex *Hippocrate* copioſam bilem generant. 3°. Oritur à fructu horario & potu fermenteſcente, veluti pepone, cucumerâ, perſicâ, &c. & cereviſiâ, muſtum, &c.; exempla enim à *Fontano*, *Sauvages* & aliis relata illud confirmant. 4°. Inter cauſas recenſenda veniunt emutica nec-non draſtica intempeſtivè fortiorive doſi exhibita, quorum effectus nomine hiperemeſis & hipercatarſis deſignantur, v. g. antimonii vitrum, catapucia major & minor, meſerei ſeminia, colocynthis, ſcamonium & helleborus; de quo *Foreſtus* exemplum refert; idem dicitur de venenis, ut arcenico, ſublimato corroſivo, fungis venenatis, &c. 5°. Animi pathemata, ut ira, excandeſcentia vehemens, terror ſubitus, gravis mœſtitia, juxtà *Foreſtum* choleram ciere queunt; eò autem certiùs quò magis in animum invadant ſeu per ſeu immediatè poſt

aſſumptionem cibi ad fermentationem proni. 6°. Ortum tandem aliàs ducit à metaſtaſi aut retropulſione humoris podagrici, arthritici, &c. Sed tunc, aït *Cullen*, tanquàm ſymptomatica conſideranda eſt.

DIAGNOSIS.

Etiam ſi ſubitò, nulliſque antecedentibus ſignis ingruat cholera-morbus, frequenter tamen illum præcedunt, ſtomachi gravedo & tenſio, anxietas, jactatio, tormentum inteſtinorum cum borborigmis, ventris dolor, atque per podicem venti fluor nil relevans, ructationes, nauſea, ſalivarum fluor, gravedo thoracis cum laſſitudine, deinde quibuſdam intervallis plus minuſve à ſe invicem diſcitis, ſubſequuntur copioſæ evacuationes per os ſimul & anum; aliquandò tamen vomitus ſolus cum teneſmo, aliàs ſeceſſus ſolus cum nauſeâ apparent. Quæ priora vomuntur nihil aliud ſunt quam alimenta cruda aut corrupta, humoribus immixta ſeroſis, pituitoſis, & præ primis bilioſis, interdùm acribus & cauſticis; eodem tempore ſummâ cum difficultate ejiciuntur ſtercora liquida plus minuſve graveolentia. Qandoque verò immmodica adeò eſt evacuatio, ut ægri intrà aliquot horas centies alvum exonerent. Emarceſcunt etiam ita ut tribus poſthabitis horis, ſi malum ſit vehemens vix agnoſci poſſint, *Tiſſot*. Accedit intereà infimi ventris dolor maximus, inflatio, diſtentio, anxietas, cardialgia, æſtus & ſitis. Pulſus eſt frequens, parvus & conciſus.

Magis ſæviente morbo, augeſcunt tormina, anxietates, cardialgiæ, extrema frigeſcunt cum unguium livore, interna uruntur.

In focibus, œſophago & ano moleſti perſentiuntur ardores quos non rarò inſequuntur dictarum partium excoriationes. *Nenter*. Adſunt animi deliquia, ſudores frigidi circà frontem aut totum corpus moventur, brachiorum crurumque muſculi convelluntur.

Malo ad ſupremum gradum evecto, ſuperveniunt ſyncopes, mentis alienatio, urinæ ſuppreſſio, ſingultus, ad vomitum conatus continui, ſed ut plurimùm inanes; nigreſcunt materies, quandoque ſanguinolentæ fiunt, loturamve carnis æmulantur. His jungitur totius corporis frigus quaſi marmarmoreum, cum facie hippocraticâ, mors denique eſt ſyncopum, convulſionum, &c. ultima linea.

PROGNOSIS.

Præcipua mali ominis indicia deſumuntur 1°. ex virium ſtatu; ſi enim exhauſtæ ſint vires, vel morbo præſente aut antecedente, vel ab ætate & aliis, ſemper malum puta, & præ primis ſub cruditate morbi; 2°. ex excretionum qualitate, quantitateque, quò magis etiam acris aut cauſtica materies ejecta, quò magis etiam urgent ſitis & calor, eò majus imminet periculum; & ſi atrabilis atro cum ſanguine per mixta rejiciatur, mors certa, inquit *Hippocrates*; immodica ſupra infraque humorum acrium evacuatio, eò certius idem fatum pronunciant, quò magis ſtipantur, animi deliquiis, ſingultibus, convulſionibus, partium extremarum frimore ſudoribus frigidis pulſu parvo & intermittente. In majus quoque periculum res vertitur, ſi quod evomitur malè olet aut ſtercoraceum eſt, ex*Lomnio*, quod autem non olet, tutum eſt. E contrà boni ominis ſigna erunt ſub omnibus morbi ſtadiis, ſtatus virium integer vel malo reſiſtens; maxima aliundè ſalutis ſpes affulget, modò in morbo jam ſtatuto, ejectiones rarius contingant ſiſtenturve cum ægri levamine, aſſumptaque ſat diù retineantur ad virium, refocillationem, modò tandem ſudor calidus refrigerationem tollat, & alia notabiliter compeſcantur ſymptomata. Reſtoratio functionum, v. g., ſomni digeſtionis, &c. ſanationem confirmat.

CURATIO.

Tres adimplendæ ſunt inde curſu hujuſce morbi indicationes generales, 1°. nempè bilis, & aliorum humorum cùm eâ permixtorum acritatem obtundere, eorumque eliminationi favere; 2°. enormes vehementioreſque motus præpedire; 3°. vires exhauſtas reficere. Primæ indicationis partem adimplerent oleoſa, mucilaginoſa; ſed ſola in exceſſuque adhibita nocerent ni fallor, ſtimulum penitùs obtundendo, qui vomitum aut ſeceeſſus movit, nullam aut ferè nullam materiei morbificæ darent mobilitatem, ac conſequenter favorem excretionibus abnegarent. Longè minùs etiam emetica, aut cathartica, conducerent, aut narcotica & adſtringentia; nam, inquit, *Sydenhamius*, prioribus utendo, idem ageret medicus ac is qui ignem oleo extinguere ſatagit, poſteriorbus verò, ſcilicet, narcoticis & adſtrin-

gentibus, obſiſteret naturæ evacuationi & inimico viſceribus incluſo, bellum inteſtinum concitaret. Requiritur ergò methodus, diluens, temperans & evacuans propter diſpoſitionem; quæ requiſita ſimplex jam citati viri praxis comprehendit. In eo ſiſtit ut aquæ pulli tenerioris in tribus aquæ fontanæ Congiis elixi uſquedùm, ſaporem vix perceptibilem referat liquor, capaciores aliquot cyathos æger tepidè exhauriat, eodemque tempore bona hujus juſculi quantitas ſub formâ enematum injiciatur, donec qua per ſuperiora, qua per iferiora, tandem omne abſumptum ac denuò rejectum fuerit, hiſ-ce hauſtibus pariter ac clyſteribus, addi poterit uncia ſyruporum lactucæ, violarum, nymphæ portulacæ, eorum-ve alicujus. Juſculi præcedentis defectu ſuccenturiari poterit aqua tepida, decoctum hordei, avenæ orizæ, ſerum lactis, aqua vituli, &c. quibus potibus, ſi inanes ſæviant vomendi conatus, optimo cum ſucceſſu admiſceri poterit oleum amygdalarum dulcium recens. Exantlato hoc aluvionis penſo, quod tres vel quatuor horas ſibi vindicat, curationi coronidem imponere jubet *Sydenhamius* laudano ſuo liquido, aut alio quovi narcotico officinali. Sed ipſius principiis ducti, annotare debemus, quod periculoſum ſit ne præmaturâ hujuſce remedii adhibitione, citius ſiſtentur evacuationes. Etenim recrudeſcente morbo poſt unius duorum-ve dierum intermiſſionem, interdùm medici adſtanteſque fuere dejecti curationis ſpe, quam pro certò habebant ex ipſorummet ſymptomatum abſentiâ.

+ Continued Heat — Cortex peruvianus cum ſucceſſu

Idcircò toto animo attendere debet medicus aut è narcoticorum uſum, an æger ſat copiosè evacuaverit; quod cognoſcet, per proſperum remediorum antecedentium effectum per pulſus viriumque debilitatem & alia urgentia ſymptomata. Tunc laudanum liquidum cum aquâ cinnamomi forti, aut limonatâ quibus adjectæ fuerint guttæ anodynæ, ſecurè adminiſtrantur.

Sic etiam quotiès æger vomitu ad dejectionibus ad horas aliquam multas continuatis, exhauſtus fuerit, at frigeſcant extrema, ex conſilio *Sydenhamii*, recto curſu ad laudanum confugiendum eſt; quod paulò majori doſi non tantùm urgentibus ſymptomatibus, eſt exhibendum, ſed etiam mané & ſerò quotidiè repetendum, at in minori doſi, donec vires & ſanitatem tandem receperit ægrotans.

Hæc artis molimina pro ſæpè ſecundæ ſatisfaciunt indicationi; & cum

irrita fuerant, ſummèque periclitabatur æger, hæc erat tunc *Aretœi* praxis, poſtquam aliquot aquæ frigidæ cyathos ſeu ſolæ ſeu cum vino, aliaque adſtringentia propinaverat, ſi nihilominùs omnia evomerat ægrotans, nihilque ventriculus retineret, potiones calidas & cibaria præſcribebat, affirmans hæc mutatione nonnullas ſedari vomitiones; calida vèro ait, calidiſſima ſumpto.

Aquæ frigidæ uſurpatio ultimo judicato reſpondet, nempè, virium refocillationi, quæ non verò jam provecto morbo urgens atquè præceps eſt; ad hunc quoquè ſcopum illam commendant *Aurelianus*, *Trallianus*. Sed cum quâdam cautelâ illa uſurpanda eſt; nam ſi elementum nervoſum primas morbi teneat, certè contraindicatur; ſi verò calor bilioſus & debilitas, optimè conducit. Nil præſtantius, inquit medicinæ *Parens*, copioſiſſimo aquæ frigidæ potu, atque refrigerantibus ſuccis, præprimis mucilaginoſis, per os & enemata ſumptis, ſi per morbi decurſum æger ſanguinem excernat.

In viribus reficiendis conſentiunt auctores vinum multum prodeſſe, *Trallianus* enim ait, ſe multos noviſſe præter ſpem, qui ſola ejus potatione mortis periculum evaſerunt. Kinam acidis junctum, ſicut præſtans tonicum, præſcribebat *Baglivius*.

Cum nihil proficiebat inter norum remediorum uſus, ad externa, recurrebant veteres, *Cœlius Aurelianus*, *J. Serapion*, *Rhazes*, ſcilicet ad cucurbitulas, revellendi ſcopo intrà ſcapulas appoſitas, derivandi verò, ſuprà umbilicum aut epigaſtrium; *Sennertus* in iis caſibus ligaturas ſuadebat, modò inferiorum, modò ſuperiorum, modò utrarumque partium, prout vomitus magis aut alvi fluxus, aut ambo æqualiter urgebant.

Si cholera ortum duxerit à veneno quodam corroſivo, v. g. à ſublimato corroſivo, arſenico, &c. tam optimè conducunt oleo amygdalarum dulcium, olivarum, decoctum raſuræ cornu cervi, lac cum abſorbentibus maritatum, &c.

Si à draſticis aut emeticis, v. g. ab meſerei ſeminibus, helleboro, ſcammonio, colocynthide, &c. mira præſtabunt narcotica ut mitridatium, philonium romanum, theriaca, &c. refert enim *Baglivius* ſe vidiſſe ſuper purgationes copioſiſſimas ope unius thoriacæ dragmæ ſedatas.

Si ab animi pathematibus, v. g., irâ aut vehementi excandeſcentiâ, tunc temporis temperanda eſt bilis acrimonia per potum decoctorum &

demulcentium ac temperantium, &c. dein evacuanda eſt per duclcia minorativa, v. g., caſſiam, mannam, tamarindum, cremorem tartari, &c.

Si tandem pendeat à metaſtaſi aut retropulſione materiei podagricæ aut alius cujuſvis, in priſtinum locum revellentibus idoneis revocandus eſt humor; & cùm omnia mitigantur ſymptomata. Curatio per mitiora purgantia terminatur, ne remaneat materiei morbificæ pars, quæ morbum removet.

Rariſſimè celebranda venit venæ-ſectio, nam effectus ipſe citiſſimè vires concidit, & aliundè acredo bilis per phlebotomiam haud temperatur; attamen teſtatur D. *Tiſſot*, valdè proficuam fuiſſe in limine morbi hanc operationem; ex ipſo ea juvabit ſemel aut bis repetita, apud ægrotantem plethoricâ conſtitutione donatum, & in quo viſcerum inflamatio pertimeſcenda eſt à quâlibet causâ.

Purgantia & emetica quæ penitùs præſcribere ſuprà viſi ſumus, maximè tamen potentia erunt remedia in practicorum peritorum manibus, ubi æger, vel nimiùm vomuit, vel copioſiùs per alvum excernit, vel cibi alterutrius evacuationis defectus ſupplendus eſt. Athenienſis cholera tentati exemplum refert *Hippocraees*, in quo dejectio alvina multo major erat quam vomitus; illi ſuaſit ut biberet helleborum in lentium ſucco. Hic remedium iſtud aſſumpſit, ſuperbibitque lentium alium ſuccum, poſtquàm vomuit, ambo cocta ſunt & ſubſtiterunt. Frigidus vero factus eſt, & in ſemicupio calido lavatus fuit. Incaluit & convaluit. Poſtridiè aquam pollentam bibit. Miranda eſt hæc divi ſenis praxis, quam ſolis in arte magiſtris æmulari licet. Sivè utentur emeticis aut draſticis, ſemper illis narcotica adjungere convenit, veluti is qui ſúccum lentium cum helleboro miſcuit ut purgans adſtrictorium faceret.

Cum maximis convulſionibus cruciatur æger, adhibenda ſunt antiſpaſmodica, v. g. camphora caſtoreum, moſchus, & alia hujus modi, quibus aliquid olei irini ac vermium terreſtrium adjectum ſit. Hujus linimenti præſtantia compoſiti, ex unciâ olei irini ac vermium terreſtrium, duobuſque caſtorei pulveriſati ſcrupulis, *Foreſti* obſervatione nititur, qui narrat ægrotantem quaſi miraculo ſanatum fuiſſe, poſtquàm per totam noctem inunxerit cum eo linimento parùm calefacto, loca convulſione affectâ.

Extremarum partium frigiditas proſperè debellatur, òpe fomentorum cum pannis lanneis, brachiis cruribuſque admotis, aut etiam ex *Hippocrate* ope ſemicupiorum aquæ calidæ, aut unctionum cum oleo calido cui pau-

linium ceræ conjunctum ſit. Choleræ ſiccæ curatio, inquit *Piquer*, magis eſt naturæ & temporis opus, quam medicamentorum; adſunt tamen media quæ hos ægros ſublevare valent, qualia clyſteres & potus ex oleo amigdalarum dulcium, olivarum, ſeminum lini, &c. recenti; quibus addatur ad acrimoniam retundendam aliquid anſerinæ aut gallinæ pinguedinis : quod levamen etſi etiam momentaneum, nunquàm ægris eſt abnegandum.

Tandem ut terapeiæ finem imponamus, pauca addimus de victu ratione. Tenuis cibus ægrotis concedendus eſt, v. g., juſcula carnium vituli, pulli, lac dulce, ſerum lactis, hordeum mundatum in aquâ pulli, oriſæ hordeique cremores, &c. non tantùm per cibi ſelectum quærenda ſanitas, ſed etiam removeri debent animi pathemata, ut ira potiſſimùm, & aliæ cauſæ quæ faciliùs recidivæ locum darent.

FINIS.

ARGUMENTABUNTUR

ILLUSTRISSIMI PROFESSORES REGII

D. PAULUS-JOSEPHUS BARTHEZ, *in ſacro Conſiſtorio Conſiliarius, Univerſitatis Cancellarius.*

D. GASPARDUS-JOANNES RENÉ, *Decanus.*

D. ANTONIUS GOUAN, *Pro-Decanus.*

D. FRANCISCUS BROUSSONET.

D. FRANCISCUS VIGAROUS.

D. HENRICUS-LUDOVICUS BRUN.

D. HENRICUS FOUQUET.

D.